

a Ministro per intentionem suam debet determinari. II. Proscripta est ab *Alexandro VIII.* anno 1690. sequens propositio: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero, in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia; ergo in Sacramentorum Ministro necessaria est intentio faciendi quod facit Ecclesia.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad Sacramenti validitatem necessaria est vera & seria Ministri intentio, non jocosa, mimica & ficta, ut contendunt Novatores.

§. X. **I**N ep. ad Corinth. c. 4. legitur: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei; sed dispensatores Mysteriorum Dei operari non debent per jocum, fictionem, & scurrilitatem, sed per serietatem, gravitatem, & veritatem, alias non Christi, sed mimorum, scurrarum, & parasitorum essent Ministri, quibus nunquam in Evangelio conficiendi Ecclesiae Sacramenta potestatem fecit; ergo ad Sacramenti validitatem necessaria est vera & seria Ministri intentio; non sufficit jocosa, mimica & ficta.*

§. XI. Ex *prop. I.* in Ministris requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, sed qui fingit & simulat quod facit Ecclesia, certe non habet intentionem faciendi, sed simulandi quod facit Ecclesia; ergo non conficit Sacramentum. Tandem intentio jocosa, ficta & mimica, jocosae, fide & mimice actionem determinat; jocosum igitur, fictum & mimicum Sacramentum exurgit. Quis autem dixerit ficta & mimica esse N. L. Sacramenta, nisi juniores Hæretici, qui vere mimorum, scurrarum, & parasitorum vitam vivunt? Verum piget in his nugis diutius immorari.